AMICO LECTORI.

OFferimus nunc tandem candide Lector Secundam partem Atlantis, primum nouæ Geographiæ tomum, videlicet septentrionalium Europæ terrarum descriptionem, à Gerardo Mercatore patre, piæ memoriæ inchoatum, & à me ad finem perductum: vtinam ea, qua optarem, perfectione. Inscriptiones singularum tabularum politici status ordinem continentes D. Bernardo Furmerio Leouardiensi, I. C. debemus; qui eas ex Richardo Stanhursto, Guillielmo Candeno, Dauide Chytræo & alijs nostri temporis scriptoribus, seruatis authorum verbis aut modice interpolatis, bona fide collegit, & nobiscum ingenuè communicauit. Quod autem in tabulis ædendis non rectum semper ordinem secuti sumus, vt qui Galliam, Germaniam, Italiam & Græciam prius, quam hasce, quæ primum locum obtinent, in publicum prodire iusserimus. Id certe non casu, sed consilio ineuitabilis necessitatis factum est, vt ea ratione & sumptibus superesse, & reipublicæ consulere tabulis, maxime hoc tempore necessarijs, possemus: quemadmodum etiam Pater in sua præfatione ad Principem Iuliacensem, Lectorem admonuit. Quia autem singulæ, quæ æditæ sunt partes in se sunt perfectæ, ita vt totius orbis descriptione, quam molimur, absoluta, facile vnaquæq; in suum locum & ordinem redigi possit, non puto quenquam fore tam inhumanum, qui hoc factum nostrum, quod suasit necessitas, carpere malignè volet. Hoc autem beneuolum Lectorem rogatum velim, vt quæ generaliter præmisimus, ea hic repetere ne coganur, se eo remitti ne ægrè ferat. Ego verò iam tandem bonum & diu à me optatum initium nactus, posthac ordinem rectum non intermittam, sed Septentrionalibus emissis, secundum Nouæ Geographiæ tomum, id est, Hispaniæ descriptionem accuratam aggrediar, inde ad Africam, Asiam, Americam, & si apparet, vti spes est, ad tertiam continentem, quæ Magellanica & terra Australis dicitur, me accingam, & quod in hisce omnibus Gerardus Mercator Pater piæ memoriæ inchoatum reliquit (vt sunt plæraq; omnia) summo studio & industria pro virili, Deo conatibus aspirante, ad finem destinatum fœliciter perducam. Interim vt me suis itinerum obseruationibus & terrarum mariumq; lustrationibus docti & Geographiæ studiosi iuuare velint etiam atq; etiam obnixè rogo, meq; accepti beneficij non immemorem fore religiosè & sanctè spondeo. Vale Lector & fruere nostris Laboribus.

Tui studiosissimus

Rumoldus Mercator.